

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Sexti Julii Frontini, Viri Consularis, Quæ Exstant**

**Frontinus, Sextus Iulius**

**Amstelodami, 1661**

Praefatio

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.  
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1185](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-1185)



S E X T I  
JULII FRONTINI  
VIRI CONSULARIS  
*In suum de*  
**AQUÆDUCTIBUS**  
**URBIS ROME**  
**COMMENTARIUM**  
**P R A E F A T I O .**

**C**UM omnis res ab Imperatore delegata intentiorem exigat curam, & me seu naturalis sollicitudo, seu fides sedula, non ad diligentiam modo, verum ad amorem quoque commissæ rei instigant, sitque mihi nunc ab Nerva Augusto, nescio diligentiore an amantiore Rep. Imperatore, Aquarum injunctum officium, tum ad usum, tum ad salubritatem, atque etiam ad securitatem Virbis pertinens, administratum per principes semper Civitatis nostra viros; primum ac potissimum existimo, sicut in ceteris negotiis institueram, nosse quod suscepi. Neque enim ullum omnis actus certius fundamentum crediderim, quam quæ facienda quæque vitanda sint posse decernere. Nam quid viro tam indecorum & intolerabile, quam delegatum officium ex adjutorum agere precepit? (quod fieri necesse est quorum imperitia processit ejus, cui decernitur usus) quorum et si necessariae partes sunt,

sunt, tamen ad ministerium, ut manus quedam & instrumentum agentis, esse debent. Quapropter ea, qua ad universam rem pertinentia contrahere potui, more jam per multa mihi officia servato, in ordinem & velut in corpus deducta in hunc Commentarium contuli, quem pro formula administrationis respicere possem. In aliis autem libris, quos post experimenta & usum composui, antecedentium res acta est; in hoc vero & in sequentium, cuius fortasse pertinebit & ad successorem utilitas. Sed, cum inter initia administrationis mea scriptus sit, in primis ad meam institutionem regulamque proficiet. Ac ne quid ad totius rei pertinens notitiam pratermississe videar, nomina primum Aquarum, que in Vrbem Romanam influunt ponam: tum per quos queque earum, & quibus Consulibus, & quanto post Vrbem conditam anno perductae sint: deinde quibus ex locis, & à quo miliario duci coepissent, quantum subterraneo rivo, quantum substructione, quantum opere arcuato: postea altitudinem cujusque, modularumque rationem, & ab illis erogationes, quantum extra Vrbem, quantum intra, quisque modus cinq[ue] regioni, pro suo modulo, unaquaque Aquarum serviat: quot castella publica privataque sint, & ex his, quantum publicis operibus, quantum muneribus, (ita enim cultiores appellant) quantum lacubus, quantum nomine Cesaris, quantum privatorum usui beneficio Principis detur: quod jus tuendarum sit earum, quā contumaces afficiantur pena ex lege Senatusconsulti & mandatis Principum irrogata.